DE
UTILITATE FOLIORUM IUGLANDIS REGIAE
AD SANANDAM SCROFULOSIN.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM

EX AUCTORITATE ET CONSENSU

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE REGIA FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE OBTINENDUM

SCRIPSIT ATQUE UNA CUM THESIBUS

DIE XVIII. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCXLII.

PUBLICE DEFENDET

MARTINUS IOSEPHUS KREUTZWALD,

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

IULIO WILLMANN, MED. ET CHIR. CAND.
FRIDERICO GOLDFUSS, MED. ET CHIR. CAND.
FRIDERICO ALBERTO GIERLICHS, MED. ET CHIR. CAND.

BONNAE,

FORMIS CAROLI GEORGII.

MDCCCXLII.

VIRO ILLUSTRISSIMO

FRIDERICO NASSE,

MEDICINAE, CHIRURGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI,
REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORI PUBL. ORDIN., DIRECTORI
CLINICI MEDICI BONNENSIS, SOCIET. LITT. COMPLUR. SODALI,
EQUITI ETC. ETC.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO SUMMEQUE
VENERANDO

ATQUE

FRATRI CARISSIMO

GUIL. KREUTZWALD,

PAROCHO PAGI DROVENSIS,

NEC NON

VIRO DOCTISSIMO,

BENEVOLENTISSIMO

IO. FREUDENBERG,

SUPERIORIS ORDINIS IN GYMNASIO REGIO BONNENSI PRAECEPTORI,

PIO GRATOQUE ANIMO

HASCE STUDIORUM MEDICORUM PRIMITIAS

D. D. D.

SCRIPTOR.

Prooemium.

Dubitanti mihi, quodnam argumentum ad scribendam dissertationem inauguralem eligerem, Friedericus Nasse, Consiliarius, vir doctissimus, scriptum quoddam Gallofrancicum indicavit, in quo Negrier, cl. medicus, professor scholae Andegavensis, profiteretur, sese diuturna experientia edoctum remedium scrofularum, scilicet folia iuglandis regiae invenisse, quod et omnia hucusque remedia superaret, et contra cuiusvis generis scrofulosis impetus indeque procedentia mala mirifice probatum esset.

Equidem quum intellexissem, quantopere hic morbus, humano generi funestissimus, in dies magis magisque ingravesceret, et quam parum remedia diversissima, contra illum morbum hucusque commendata et adhibita, vulgo proficerent: profecto iucundissima mihi venit adhortatio, ex qua pro virium mearum exiguitate ipse periculum facerem, num ea, quae Negrier professus est, revera probarentur rataque omnino apparerent.

Itaque mihi propositum est, in hac commentatione demonstrare, quemnam habuerint effectum ea, quae Negrier feliciter tentata invenit, cum nostris observationibus, quae quidem exiguae sunt, comparata.

De

utilitate foliorum iuglandis regiae ad sanandam scrofulosin.

Quantis cum difficultatibus cura cachexiae scrofulosae sit coniuncta, ex quotidiàna experientia liquet, ita ut, adhibitis medicamentis efficacissimis, morbus per annos procedat, ac plerique aegroti nihilominus tandem mature serove succumbant paucique ab eo fiant liberi.

Primaria causa certe in ea re quaerenda est, quod causae occasionales, quae hoc in morbo tam mirifice et frequentes et diversae sunt, minime aut rarissime possunt removeri.

Quod in unoquoque morbo accidit, ut, quamdiu causam non tollamus, tamdiu morbo ipsi mederi non possimus, idem de morbo scrofuloso est statuendum.

Nam quamdiu pestifera momenta repellere non pollemus, certe scrofulas ipsas sanare aut minime aut ingenti difficultate poterimus.

Qui nocentes res, quae, ut oriantur, procedant, perficianturque scrofulae, plurimum momenti afferant, paulum tantum perspexerit, nobis assentietur, apud infimae potissimum conditionis homines plus minusve eas coniunctas inveniri.

Itaque non immerito paupertatis hic morbus assecla est dictus.

Quodsi obiter tantum exteras consideraveris conditiones, quibus huius generis hominum vita plerumque continetur, exempli gratia victum, quo vulgo fruuntur, porro udas, frigidas, opacas tabernas, in quibus vitam degere solent, aërem denique, in quo spiritum ducunt, qui tam multis saepe hominibus in uno eodemque spatio angustissimo consociatis pessimus est, et quaecunque praeter iam memoratas causas existunt res exterae, unde periculum immineat sanitati, facile intelliges, nisi his impedimentis nocentissimis propulsis et conditione rerum exterarum meliori allata, scrofulas nullo modo sanari posse.

Quae cum ita sint, quum vulgo causas locis conditionibusque insitas propulsare non possimus, tam ingentem copiam medicamentorum contra varios scrofulosi morbi impetus adhibitam aut nullum eventum praebituram, aut minus tantum hilarem exitum allaturam esse, plane perspicuum est.

Nam tristem reddit animum diligentissimi medici experientia, plerosque homines, in quos morbus ille grassatur, sine auxilio certo quodam tempore auferri victimas rarissimeque nonnullos sanatos inde evadere.

Frustra igitur per ingens temporis spatium sagacitas virorum egregiorum remedium sufficiens indagavit.

Omnia enim contra hunc morbum adhibita remedia minime sufficiebant exspectationi. Atque adeo ipsa ea remedia, quae recenti tempore semper et ubique omnibus anterioribus antecedebant, laudabantur egregiaque habebantur, scilicet iodum et oleum iecoris aselli, quorum hoc **B r e f e l d i u s**, vir doctissimus (pag. 81.), his verbis praedicat, nullum esse remedium, quod oleum iecoris aselli in morbo scrofuloso curando superet, etiam haec, inquam, probabilia ubique minime inveniuntur.

Quo magis laetandum est nobis, quod Negrier, Francogallus medicus, vir doctissimus, antecedenti anno remedium

in vulgus edidit, quod, quum omnia olim contra scrofulosin adhibita remedia atque ipsa laudata, iodum et oleum iecoris aselli, sine ullo prospero eventu usurpasset, unice idoneo auxilio sibi fuisse ad curandam cuiusvis generis scrofulosin dicit. Dico folia iuglandis regiae.

Putaminibus nucum iuglandis viridibus antea quidem meris interne perraro utebantur, tonico dumtaxat contra nimis profusum intestini mucum indeque orientem helminthiasin; eodem modo decoctum et extractum putaminum usui inserviebat in laxis unaque immundis ulceribus generis herpetici, scrofulosi, psorici, venerei etc.

Sero tandem egregia efficacia huius remedii laudabatur, commixti aliis cum remediis in decocto Pollini 1795 primum evulgati (Friedrich, das Pollinische Dekokt und die reinigende Wirkung der wälschen Nussschalen). Quod initio inprimis contra syphilin primariam adhibebatur, postea autem contra syphilin secundariam, si coniuncta deprehenderetur cum morbo mercuriali, arthritide et scrofulosi. Cf. Veringius. Attamen hucusque nunquam invenimus adhiberi supra dictum remedium neque immixtum, neque compositum: id est decoctum Pollini contra scrofulosin destitutam alio malo.

Folia autem, quantum adhuc innotuit, contra ullum morbum neque interne neque externe adhibita sunt, dum priori anno Negrier ille in specimine (quod legitur in: „Archives gén. de médecine, Mai 1841.“) remedii huius interne et externe adhibiti efficaciam contra scrofulosin collaudavit. Profitetur autem Negrier, sese plura scripta de vi medicamenti illius disserentia perlegisse, nusquam autem quidquam ea de re sibi occurrisse; solam pharmacopoeam auctore Lemery (ed. 1748) his verbis rem nostram attigisse: Les feuilles et les fleurs du noyer sont astringentes, sudorifiques, et propres à résister à la malignité des humeurs, étant prises en decoction.

Porro J. F. Mirault, excellens medicus sub voce: Noix, du Dictionnaire de Médecine breviter haec dixit: Néanmoins, aujourd'hui, on ne fait guère usage de ce médicament, quoique son action soit assez énergique. Pergit deinde Negrier, se probe scire medicos *Iurine Genevensem et Boron Indum* folia illa in cura scrofularum adhibuisse; sese autem, quomodocunque se res habeat, propria consideratione neque cuiusquam auctoritate imbutum eo pervenisse, ut id remedium contra scrofulosin interne tentaret et ipsum sine aliorum adminiculo explorasse rationem adhibendi, de qua postea dicemus.

Affirmat quoque, se ex auctoritate praeceptoris J. F. Mirault, Andegavi, spectati medici, et chirurgorum, eius aequalium, qui externe remedium efficax invenissent, iam per multum temporis decoctum foliorum illorum contra ulcera scrofulosa et tumores albos articulorum felici eventu usurpasse.

Anno 1834 Negrier, ut narrat, munus medicinam exercendi in instituto pauperum Andegavensi nactus est, ubi magna multitudo orbarum alebantur; mox ibi animadvertit maximam earum partem laborare scrofulosi, progressa iam eo, ut mors iis instaret; in nonnullis malum calidis anni temporibus sanari videbatur; contra magis frigidis morbi vis denuo ingravescebat, ut eo laborantes in fine simili sorte prosternerentur.

Usque ad id temporis in liberis illis medicamenta usurpabantur usitata contra scrofulosin, velut decoctum humuli, radix gentianae, baryta, ferrum, iodum; qua in cura Negrier, cui nihil melius cognitum esset, usque ad annum 1837 et ipse perstitit. Sed quamquam externae rationes secundae, domicilium salubre, aër siccus, nutrimenta bona erant, nullus tamen successus apparebat.

Nam cum moerore videbat ex viginti liberis morbo illo affectis duos tantum annos pubertatis assequentes.

Adspectu tam magnopere affligente commotus Negrier tandem cogitabat, annon remedium illud, quod externe adhibitum contra ulcera scrofulosa et tumores articulorum albos sanitatem praebuisset, eodem modo interne adhibitum contra scrofulosam ipsam cachexiam auxilium ferret; atque instituit, ut ratione infra describenda eius efficaciam tentaret. Mirum quantum spes ipsius irrita non erat; nam non multo post tentamina statim inveniebat secundas mutationes: hilares enim liberi fiebant et iocosi; appetitus ciborum crescebat in dies simulque sanari iam incipiebant ulcera et eorum solidae fiebant cicatrices.

Post breve tempus apud nonnullos perfecta accedebat sanitas, apud alios mirifice in melius inclinata valetudo atque apud perpaucos nullus animadvertebatur eventus.

In processu tam egregio ubique medicamentum in diversissimi generis scrofulosi adhibebat et mox quinquaginta sex casus afferre poterat.

Casus huius curae et qualis finis fuerit, nunc indicabo:

Quinquaginta sex hominum morbo scrofuloso laborantium prorsus sanabantur triginta unus; duodeviginti multo meliori conditione gaudebant, in eoque iam erant, ut sanarentur.

Quatuor autem liberis nullum emolumentum ex adhibito medicamento redundabat.

Quatuor porro, dum curabantur, mortui sunt, quorum duo abripiebantur phthisi tuberculosa; unus morbo, hydrocephalo acuto nominato; unus denique morbo pneumonia duplice.

Citatos casus ex ratione, qua scrofulosis se indicabat, in quatuor classes distribuit.

I. Tumores scrofulosi non exulcerati.

II. Ophthalmiae scrofulosae.

III. Tumores scrofulosi exulcerati.

IV. Tumores ossium, caries et necrosis e causa scrofulosa.

Felicissimis illis tentaminibus incitati, nos quoque ex auctoritate doctissimi consiliarii Nassei in nostro policlinico adhibuimus dictum remedium ad probandum, num etiam nobis rata fieret enuntiatio illius Negrieri.

Neque ita multo post animadvertebamus, iam illud remedium secundas mutationes efficere in liberis morbo scrofuloso affectis.

Nam, quamquam nobis in significata cura duo magna impedimenta obstabant, alterum quippe, quod conamen minus opportuno anni tempore, mense Novembri incipiens, fiebat, alterum, quod propter perraro tantum adhibitum illud remedium, dictorum foliorum copia nulla aderat, exceptis foliis, quae autumno eius anni de arboribus deciderant, nimirum ob eam causam partim aëre, partim pluvia plurima vi egentia: quamquam igitur eae causae nobis impedimento erant, tamen gaudio affecti sumus, quod ex tredecim liberis ita curatis post duos menses et dimidium nonnulli prorsus sanati, nonnulli in melius procedebant et pauci tantum nullum secundum proventum sentiebant.

Singulae auctoris observationes efficaciam dictam foliorum illorum comprobantes.

Observatio prima.

Maurit. Reisinger sex annos natus, orbus, cuius pater et avia pravis oculis semper laborasse dicebantur. Unica eius soror aegrotabat vehementer tumoribus scrofulosis in collo sitis.

Maurit. iam per plures annos vexabatur morbis oculorum, ac praesertim ex vere proxime praeterito peiores facti sunt oculi post sustentam per aliquot tempus saevientem febrim catarrhalem. Initio contra scrofulosin universalem haecce remedia data:

Aethiops antimonialis, baryta, iodum, postea per longum tempus oleum iecoris aselli; externe: plumbum aceticum, borax, et cervices unguento tart. stibiati fricati. Oculi, ut videbantur saepe modo paululum meliores fiebant, sed peiores modo; atque haec erat conditio curati Moritz die sexto Novembris mensis anni 1841.

Puer debili, pusilla, minus explicata structura, habitu scrofuloso, pallido et tumescente visu, animi indole non satis exculta.

Affectus autem erat duplice ophthalmia scrofulosa magis in dextro quam in sinistro. Maxime erat lucifugus, inprimis

matutino tempore atque ei tenuissima lux ferebat dolorem summum. Crebrae lacrymae corrodebant et rubefaciebant ei malas. Utraque palpebra subrubra, paululum tumescens; margines crustis tecti; palpebrarum rima coarctata; tunica coniunctiva bulborum oculorum et palpebrarum mixta rubore et pallore; oculi conniventes.

In sinistri oculi cornea cicatrix; fluor continuus e naribus; filtrum labii superioris inflammatum et tumefactum; superius labium crassum, nasus simus; in collo complures glandulae tumefactae magnitudinis pisi ad nucis avellanae. Cutis supra glandulas a naturali colore non abhorrens, pressu non dolens, glandulae ipsae sub cute facile moveri poterant. Venter durus et intensus; nonnullae tumefactae glandulae per tegumina sentiendae; appetitus ciborum avidissimus inprimis panis nigri et leguminum; alvus satis soluta.

Die sexto mensis Novembris cura incipiebatur datis extracti fol. iugland. ter quotidie duabus pillulis.

Res domesticae satis prosperae; nutritio ut antea mediocris.

Attamen iam octavo die mensis Decembris conditio aegroti multo melior erat facta: Aeger ipse multo minus lucifugus; crustae palpebrarum decidere incipiebant; rubor tunicae coniunctivae magnam partem evanuerat; lacrymarum cursus minor erat; lacrymae ipsae malas corrodere desierant. Die decimo quinto mensis Ianuarii huius anni, ergo remedio duos menses et dimidium adhibito, conditio aegri erat haec:

Puer multo hilarior; in non nimis clara luce minime lucifugus; spasmus palpebrarum magis minusve solutus; rubor tunicae coniunctivae fere prorsus evanuerat; cursus lacrymarum desierat; crustae palpebrarum deciderant et marginum color respondebat normae; fluor continuus e naribus evanuerat; et labium superius amiserat crassitiem et ruborem.

In collo glandulae tumefactae partim minores, partim diminutae; abdomen multo mollius.

Aeger certo planam sanitatem assecutus esset, nisi curam interrumpi oportuisset, quia nulla amplius aderat medicamenti copia.

Observatio secunda.

Ioh. Bos, tres annos natus, scrofuloso habitu, laborabat ex diuturno tempore ophthalmia scrofulosa duplice.

Res domesticae malae, domicilium humidum, a radiis solis aversum.

Hucusque temporis oleum iecoris aselli adhibitum.

E die vicesimo mensis Novembris aeger sumebat per diem ter parvum cochlear syrupi illius e gr. Vj extracti foliorum iuglandis et ℥j syrupi saccharati parati.

Oculi non ita multo post meliores fieri videbantur, tamen mox redibant in pravam conditionem, in qua etiam decimo quinto die, remedio dicto fere duos menses adhibito, perseverabant; atque cura interrupta est e causis iam dictis.

Observatio tertia.

Elisabetha Groeninger, tres annos nata, parva, gracili statura laborabat ex longo tempore ophthalmia scrofulosa et fluore albo vaginae ex causa scrofulosa orto.

Valde lucifuga erat puella; tunica coniunctiva palpebrarum oculorumque rubefacta; in tunica cornea utriusque oculi cicatrix; magnus cursus lacrymarum, fluxus nasi continuus; labium superius valde tumescens; venter inflatus durusque. Simul fluebat continuo magna copia liquoris albi acrisque e vagina, qui partes genitales et interna latera femorum erodebat.

Appetitus ciborum magnus; alvus naturaliter se habet.

Hucusque aegra per longum tempus oleum iecoris aselli

sumpserat; contra fluorem album remedia adstringentia adhibita, sed sine ullo eventu.

Sexto die mensis Novembris incipiebat in aegra cura foliorum iuglandis regiae.

Quotidie enim ter cochlear parvum sumebat syrupi iam descripti; externe contra fluorem infusum foliorum iuglandis e ʒjj fol. parat. ad ℥Vj aquae. comm. adhibitum.

Non ita multo post secundae mutationes apparebant, atque iam die vicesimo septimo mensis Decembris fluor albus desinebat neque minus oculi meliores facti non fluebant; rubor tunicae coniunctivae erat factus pallidior; aegram paululum tantum clara lux offendebat, ita ut aegra minore cum pavore claram lucem conspicere posset.

Nec minus cetera signa morbi magis vel minus diminuta.

Tamen iam die trigesimo eiusdem mensis curam hucusque adhibitam interrumpi necesse erat, quia aegra gravi febri catarrhali vexabatur. Dabatur igitur tart. stib. in refracta dosi, simulque infusum florum tiliae. Vix febri primis diebus mensis Decembris pulsa, signa vermium apparebant. Data igitur semina cinae in electuario, quo factum est, ut magna copia vermium per deiectiones emitterentur.

Signa vermium evanescebant et dicta cura continuari poterat die decimo quarto mensis Decembris. Etiam oculi liberi non manserant, nam multo peiores erant facti; tamen remedio aliquamdiu rursum adhibito, mox in melius inclinabantur, ut brevi illam supra dictam emendationem assequerentur.

Atque quavis ratione aegra multo melius se habebat die decimo quinto mensis Ianuarii huius anni, quo curae finis erat faciendus ex causa iam supra memorata ac certe, si cura per longius tempus continuari potuisset, ad perfectam sanitatem pervenisset.

Observatio quarta.

Catharina Groeninger, tres annos nata, gracili debilique statura, tenera, albida, perlucida fere cute; malae rubicundae; capilli fulvi, oculi coerulei, pupilla lata; animi indoles exculta.

Aegra antea vehementi bronchitide afflicta laborabat ex diuturno tempore copioso fluore albo vaginae, qui acie partes genitales et interna latera femorum valde erodens parvulae magnos dolores efficiebat.

Hucusque oleum iecoris aselli sumptum; contra fluorem externe remedia adstringentia adhibita sine effectu.

Ex octavo die talis cura adhibebatur, qualis in praeeunte casu. Die duodecimo eiusdem mensis profluvium minus molliusque iam erat factum.

Die vicesimo aegram prorsus sanatam malum hucusque non rursus tetigit.

Observatio quinta.

Maria Anna Groeninger, sex annos nata, debili, paululum explicata statura, laborabat ex diuturno tempore late expansa porrigine scutulata, praeterea copioso fluore albo vaginae ex causa scrofulosa orto, qui erodens huic quoque parvulae tantos dolores efficiebat, ut, quo minus scholam frequentaret, impedita esset.

Appetitus ciborum magnus, inprimis rerum fracidarum.

Hucusque adhibitum oleum iecoris aselli et contra fluorem externe remedia adstringentia; sed frustra.

Ex octavo die mensis Novembris talis cura adhibebatur, qualis in praeeuntibus duobus casibus. Breve tempus postea apparebant secundae mutationes: profluvium enim erat minus et mitius; porrigo sanabatur.

Atque remedio vix duos menses adhibito; porrigo prorsus erat sanata, fluor albus omnino evanuerat, ut aegra ludum sine difficultate iterum frequentare posset.

Observatio sexta.

F r a n c i s c a quoque G r o e n i n g e r, quinque annos nata, laborabat late extensa porrigine.

Hucusque oleum iecoris aselli sumptum sine eventu.

Aegra simul cum tribus iam memoratis sororibus sumebat eodem modo illum iam descriptum syrupum et ea quoque circiter post duos menses a malo erat penitus liberata.

Horum quatuor infantum opes erant exiguae, attamen impedimenta illa mater parvulorum omnibus viribus superare et praescripta ad victus spectantia, quantum poterat observare studebat, quod ipsa et munditiei et ordinis erat amantissima.

Observatio septima.

H e n r i c u s O s t l e r, sex annos natus, laborabat copiosa blenorrhoea auris dextrae e scrofulosa causa exorta.

Tunica mucosa meatus auditorii externi rubra, intumescens, nonnullis locis exulcerata; in mento ulcera fuscis crustis obtecta.

Hucusque oleum iecoris aselli sumptum.

E die vicesimo mensis Decembris praeterlapsi anni puer sumebat ter per diem cochlear parvum illius syrupi.

Mox profluvium meatus auditorii minus mitiusque fieri, loci exulcerati et ulcera menti sanari et crustae decidere incipiebant atque vicesimo die mensis Ianuarii huius anni puer erat prorsus sanatus.

Observatio octava.

Franciscus Morgan, duos annos et octo menses natus, statura magna et crassa, amplo capite, facie valde tumida erat; oculi latis lividisque annulis circumdati. Magnae et crassae alae nasi; continuus narium fluxus liquoris tenuis albidi acrisque aderat. Labium superius et septum narium valde rubefactum, valde inflatum; labium superius unum pollicem efficiens; in collo magna glandularum tumidarum durarumque copia variae magnitudinis apparebat, quae sub cute facile moveri poterant neque dolebant.

Abdomen amplum, durum, in pulsando aliquid fluctuans; in regione mesogastrica sobrio puero quinquaginta tres, pranso quinquaginta quinque pollices complebat. Puer valde sudabat, inprimis vehementer tempore nocturno. Spiritum aegre ducebat; praeterea tum vehementi diarrhoea laborabat, quam usque ad id tempus alvus pertinaciter adstricta semper excipiebat. Appetitus ciborum maximus, praecipue panis nigri et tuberum solani. — Usque ad illud tempus ol. iecor. asell. adhibitum erat; sed sine ullo successu.

Die sexto mensis Novembris anni praeteriti puero folia iugl. reg. dari coeptum est eo quidem modo, ut iam supra ostendimus, nempe ter per diem cochlear parvum syrupi, qui infra describetur.

Post octo dies diarrhoea cessavit, alvus iusto tempore soluta est. Paulatim fluxus narium diminuebatur, rubor et crassitudo labii superioris evanescebat; abdomen minus molliusque fiebat.

Sic paulatim conditio pueri melior fiebat, ita ut die decimo quinto mensis Ianuarii huius anni, quo tempore foliis deficientibus remedium adhiberi non amplius poterat, inflatio faciei prorsus deminuta, fluxus narium finitus, labium superius

esset pallidius talisque magnitudinis qualis normae paene responderet.

Numerus et magnitudo glandularum colli tumefactarum longe minor; abdomen multo minorem circuitum habebat, ita ut sobrio puero quadraginta septem tantum pollices efficeret; praeterea mollius erat et fluctuatio penitus abierat.

Alvus normae satis respondebat. Sudores quoque profusi desierant atque puer hilaris erat et satis bene se habebat.

Observatio Nona.

Apollonia Schmitz duos annos nata, oriunda a parentibus pauperibus, qui ex manuum opera victum quaerunt, proximo hieme mihi curanda data est.

Duo consanguinei, qui suppuratione glandularum meseraicarum et tuberculorum pulmonum laboraverant, mortui erant, et parva nostra aegrota praebebat adspectum valde miserandum.

Palpebrae rubefactae earumque glandulae tumefactae erant. Nasus et os periodice inflatum. In collo omnes glandulae amplificatae, durae, plures iam diu pus movebant. Glandulae axillares et inguinales vehementer tumebant et durescebant. Arteriae ad eas ducentes dilatatae, parietes earum paene cartilaginose densatae. A malleolis pedum usque ad mediam suram haec densatio et tumor arteriarum permagnus, quare motus valde difficiliores reddebantur. Abdomen inflatum erat. Glandulae meseraicae auctae atque durae. Fluor albus continuo aderat; appetitus ciborum parvus.

Usque ad illud tempus ol. iec. aselli sine ullo eventu sumptum erat. Tunc adhibebantur folia iugl. regiae. Puella initio quater per diem grani dimidium extracti foliorum sumebat, postea paulatim dosis ad tria grana pro dosi auge-

batur. Atque in fine sextae hebdomadis conditio aegrotae multo melior facta est. Tumor pedum, densatio duritiesque arteriarum glandularum regionis axillaris et inguinalis funditus cessit. Aegrota sine incommodo et difficultate se movere poterat. Fluor albus et mala palpebrarum e scrofulosi orta abierant. Glandulae colli tumefactae duritiem, partim etiam ambitum amiserant; plura colli ulcera cicatricibus obducta erant. Appetitus ciborum bonus atque puella antea vagiens ludis puerilibus delectabatur.

Exactis iterum septem hebdomadibus, per quas singulas simul duo balnea e polenta parata adhibita erant, illud remedium, ab illustrissimo doctore Negriero optimo iure collaudatum, id effecerat, ut omnes vitae actiones puellae, inprimis ciborum appetitus, coctio, motus speciem sanitatis prae se ferrent, omnia ulcera cicatrices ducerent tumoresque glandularum, parvis densationibus in tela cellulosa glandulas circumdante exceptis, plane cessissent. (Walz.)

Observatio decima.

J. W., puer Bonnensis, aeger privatus, rachitica structura, pectore anserino affectus ante quinque annos carie columnae vertebralis in regione ultimae colli et primae dorsi vertebrae orta diu laborabat. Tumore ibi sito rupto magna copia ichoris excernebatur.

Tandem sanatio secuta est, ita tamen, ut, Kyphosi orta, colli columna vertebralis cum dorsi columna obtusum angulum formaret.

Paulo post sanationem supra dextrae claviculae partem acromialem apparebat ulcus scrofulosum, quod magnitudinem duorum pollicum habens quam maxime irritabile erat et ichorem albidum tenuemque excernebat. Partes vicinae valde inflammatae, marginesque suffossi erant. Pluribus iam locis ichor in regiones propinquas demissus erat. Praeterea fe-

bris hectica, sudor profusus, impetus febris nocturnus cum frigore vehementi coniunctus aderat. Puer malo omine tussiens spiritum aegre ducebat. Iam per decem menses remedia antiscrofulosa, quae vocant, erant adhibita: interne ol. iec. asell. et externe, quantum cognosci poterat, fomentationes Rustii et praeparata plura hydrargyri, inter quae hydrarg. praecipitat. rubrum etc.

Attamen res omni prospero successu carebat.

In qua tristi conditione puer ad finem mensis Octobris anni praeteriti a doctore cl. Unger Bonnensi auxilium petiit. Qui de puero sanando paene desperans, quum cetera omnia remedia nihil profecissent atque puer in tam tristi conditione esset, illud remedium antiscrofulosum paulo ante quam maxime collaudatum: folia iuglandis regiae interne tentabat. Neque spes eum fefellit; nam, una hebdomade vix praeterita, ulcus purgari et longe aliam speciem sumere coepit.

Paulatim dolor remittebatur; irritabilitas adaucta deminuebatur, apparebant sanae granulationes; atque post sex hebdomades ulcus iam prorsus sanatum erat puerque optima valetudine gaudebat. (Dr. Unger.)

Observatio undecima.

Petrus Meyer, septema nnos natus, laborabat glandulis numerosis colli, duris, tumidis; variae magnitudinis.

Aegrotus sumebat per sex hebdomades fol. iugl. regiae; atque post hoc tempus omnes fere glandulae evanuere atque eae perpaucae, quae remanserant, multo minores factae erant. Cura finiri debebat, quia folia tum deficiebant. (Kaufmann.)

Observatio duodecima.

Franciscus Liches, duodecim annos natus, ekthy-

mate ex multis annis laborans, multis remediis frustra adhibitis, iam dicto quoque remedio utebatur per duos menses, sed sine eventu.

Observatio tertiadecima.

Caecilia Beut, tredecim annos nata, e multis annis herpete labiali valde laborans etiam per duos menses et dimidium sumebat in nostro clinico illud remedium sine successu.

Quodsi iam ad hos tredecim infantes, in quibus, scrofulis affectis, folia iugl. reg. adhibita sunt, respexeris: quamquam res inciderant tam iniquae, remedium per breve tantum temporis spatium admoveri poterat, foliaque extremo demum autumno, quo tempore ex arboribus iam dudum ceciderant, pluviaque vim eorum valde fregerat, collecta erant, tamen rem prospere successisse libenter concedes.

Sex enim parvulis sanitas plane reddita est; quatuor alii in eo erant, ut morbo convalescerent; in tribus tantum reliquis rei eventus optato minus respondit. Utrum hi quoque casus pertinaces, si longinquior et gravior curatio adhiberi potuisset, sanati essent, integrum relinquimus.

Reliquum est, ut ipsa remedii praeparata, quae auctor adhibuit, afferamus simulque explicemus, quanam ratione sint componenda.

Sunt haec:

I. Infusum fol. iugl. regiae.
II. Decoctum.
III. Extractum.
IV. Syrupus.
V. Pilulae.
VI. Unguentum.

I. Infusum ita paratur, ut in tantam horum foliorum minutim concisorum copiam, quanta tribus digitis compre-

hendi potest, ducenta quinquaginta grammata aquae ferventis infundantur *).

Ad edulcandum additur saccharum album vel syrupus e foliis iugl. regiae paratus, qui postea describetur.

Cuius infusi quotidie octo vel decem unciae sumantur, attamen dosis ad quindecim per diem augeri potest.

II. Decoctum: Tot folia, quot manu capi possunt, cum uno aquae kilogrammate per decem vel quindecim minutas coquuntur.

Quod praeparatum praecipue utile se praebet in lotionibus simulque medicamentum in ulceribus externe adhibitum magnam vim habet; praeterea iniici in fistulas efficacissimum est.

III. Extractum e foliis ratione, quae ab auctore nominatur „la méthode déplacement,“ paratur.

IV. Syrupus paratur, dum quadraginta centigrammata extracti cum triginta duobus grammatis simplicis syrupi miscentur.

E viridibus quoque foliis syrupus parari potest, atque saporem magis aromaticum habet, quam si extracto temperatur. Neque tamen tum modus remedii ab aegroto quotidie sumendus tam accurate determinari potest.

Cuius syrupi parvulis duo vel tria cochlearia parva per horas viginti quatuor dentur.

In adultis supra sexaginta quatuor grammata nunquam est progressus auctor. Vulgaris his danda dosis sunt triginta duo usque ad quadraginta.

V. Pilularum quaeque e viginti centigrammatis extra-

---

*) I. gramma = 16,0986 grana ponderis Norimbergensis. I. Kilogramma = 16098,6804 gran. I. Centigramma. = 0,6610 grana. 480 grana = 1 Uncia.

cti, quod sufficienti copia foliorum iuglandis in pulverem solutorum rigidum factum est, componitur, quarum quotidie duae sumantur, attamen usque ad quatuor progredi licet.[1]

VI. Unguentum, quod ad infricandum in pluribus casibus cum magno eventu adhibetur, constat ex extracti triginta grammatis, adipis quadraginta grammatis, bergamotti olei quindecim centigrammatis.

Hoc unguentum per partes leniter et quadrantem fere horae bis per diem oblinendum est.

Negrier, professor ille illustrissimus, remedium illud cuilibet morbi scrofulosi generi, quacunque in ambage et quacunque sub forma appareat, adhibendum magnopere commendat.

Sed quoniam huius remedii in quaque morbi scrofulosi forma admovendi occasio nobis non oblata est et tempus, per quod morbus curabatur, nimis breve erat, quam ut in iis infantibus scrofulis laborantibus, quibus hoc remedium nihil utilitatis attulit, nihil unquam effici affirmare possemus: certe et definite de re iudicare in medio relinquimus neque aliud quidquam curamus, quam ut lectores ad exquisitos casus a nobis tam brevi tempore, rebus quam maxime iniquis, observatos remittamus miramque remedii vim hucusque probatam collaudemus. Quod quamquam ad tres tredecim parvulorum sanandos nullam attulit vim, quae res causis supra explicatis integra relinquitur, tamen, si, quam pertinax malum sint scrofulae, consideraverimus, folia iuglandis regiae non solum in talibus, quales nos observavimus, casibus libentissime adhibebimus, sed etiam in aliis scrofularum gravioribus casibus efficacissima ducemus, praesertim quum, id quod Negrier pro certo affirmat, et nos ipsos experientia docuit, ex usu fol. illorum diu continuato in corporis naturam nunquam redundaverint incommoda.

Attamen sicut constat inter omnes, propter ipsam natu-

ram huius morbi prosperos successus medicamentorum saepe sero demum apparere, sic etiam hic curandum est, ne interdum longinquitas ab adhibendo hoc remedio nos abhorreat.

Nam quod nonnulli effectum illius remedii denegant, plerumque ex nulla alia causa oriatur, quam quod medicus vel aegrotus usum nimis mature repudiaverit.

Quamquam bene id animadverti debet, in hoc morbo ad recuperandam durantem sanitatem non solum effectus mali impugnandos, sed etiam totam constitutionem ipsius aegroti corrigendam esse.

VITA.

Natus sum ego Martinus Iosephus Kreutzwald anno 1816, die 14. m. Ianuarii pago Pesch prope Monasterium ad Eifliam oppidum sito patre Martino Kreutzwald et matre e gente Haag, quos iam morte abreptos lugeo. Fidei catholicae addictus sum.

Primis litterarum elementis imbutus Gymnasium, quod Monasterii ad Eifliam directore cl. Katzfeyo floret, per septem annos frequentavi. Inde cum testimonio maturitatis dimissus autumnali tempore anni 1837 in almam litterarum Universitatem Fridericiam Guilelmiam Rhenanam me contuli ibique a rectore t. t. magnifico Welckero in civium academicorum numerum receptus nomen dedi apud decanum t. t. gratiosae facultatis medicae spectatissimum Harless.

Per quatuor annos et dimidium hasce audivi praelectiones:

I. Philosophicas.

Logicen et psychologiam apud cl. v. Calker; botanicen apud cl. Treviranum; zoologiam apud cl. Goldfuss; mineralogiam apud cl. Noeggerath; physicen experimentalem apud cl. Pluecker; chemiam experimentalem, phytochemiam et zoochemiam apud cl. G. Bischoff.

II. Medicas.

Anatomiam generalem et specialem apud cl. Mayer et cl. Weber; situm viscerum, repetitorium anatomiae et syndesmologiam apud cl. Weber; physiologiam, de formatione

pulli in ovo apud cl. Mayer; encyclopaediam et methodologiam medicam, pathologiam generalem cum semiotice, pathologiam et therapiam specialem morborum acutorum; historiam artis medicae saeculi decimi noni apud cl. Naumann; therapiam generalem, specialem, anthropologiam, de institutione medici, physiologiam apud cl. Nasse; chirurgiam, doctrinam operationum chirurgicarum, morbi oculorum, anatomiam chirurgicam, de fasciis applicandis apud cl. Wutzer; artem obstetriciam, de instrumentis obstetriciis, de morbis infantum apud cl. Kilian; pharmacologiam generalem et specialem, repetitorium materiae medicae, artem formulas medicas rite conscribendi, medicinam forensem, de epizootiis apud cl. E. Bischoff; materiam medicam et disciplinam publicam medicam apud cl. Harless.

In exercitationibus practicis mihi duces fuere: in arte cadavera dissecandi cl. cl. Mayer et Weber; in clinico propaedeutico et therapeutico medico cl. Nasse; in clinico chirurgico et ophthalmiatrico cl. Wutzer; in exercitationibus obstetriciis ad phantoma et in clinico obstetricio cl. Kilian; in operationibus in cadavere instituendis cl. cl. Weber et Fischer.

Per anni spatium in septima equitum hastatorum cohorte chirurgi militaris voluntarii munere functus sum duce cl. Dr. Kallmann.

Quibus omnibus viris optime de me meritis maximas, quas possum, ago gratias easque semper habebo.

Theses.

I. *Hypertrophia cordis non semper est morbus.*

II. *Morbus chronicus non idem ac diutinus, neque morbus acutus idem ac brevis.*

III. *Exanthematum cura, quae secundum formam externam solam dirigitur, futilis quin pessima est.*

IV. *Fungus medullaris exstirpatione non sanatur.*

V. *Empyematis in bronchum sese aperientis operatio nunquam indicatur.*

VI. *Auscultatio in arte obstetricia magni est momenti.*

VII. *Incruenta dilatatio oris uteri prorsus reiicienda est.*